

rectam rationem faciendum : estque hæc dignitas propria honestas obiectiva, quam respicit obedientia. *Pœnitentia* dupliciter considerari potest. *Primo*, quatenus dolet de peccato, ut est offensio Dei, ejusque malum, illudque conatur tollere tanquam ei displicens, et ut Deo reconcilietur: quo modo non distinguitur a charitate; sed est ipsa virtus charitatis inadæquate concepta, nimirum ut versatur circa ablationem peccati, et reconciliationem cum Deo propter ipsum bonum Dei. Eiusdem enim virtutis est, gaudere de bono alterius, illudque procurare, et dolere de ejus malo, illudque depellere. *Secundo*, quatenus dolet de peccato præcise ut est injuria Dei, et imperat opera satisfactoria ad hanc injuriam sarcendam: hoc modo distinguitur a charitate, et pertinet ad quamdam justitiam hominis erga Deum. Sed non considerat neque imperat opera satisfactoria, ut sunt formaliter signa divinæ excellentiæ, quibus Deum veluti ornet et honoret; sed ut sunt vindicta peccati, qua Deo pro injuria illata satisfiat, et jus ejus violatum quodammodo instauretur: sicut cum quis homini pro injuria illata satisfacit dolendo, et se accusando, affligendo, veniam petendo, non intendit per hoc formaliter illum honorare, sed pro injuria satisfacere.

11. *Dico IV.* Religio non distinguitur a virtute *pietatis, observantiæ, et gratitudinis* in Deum. Colligitur ex D. THOMA q. 106. a. 1. ad 1. ubi dicit: *Sicut religio est quædam superexcellens pietas; ita est quædam superexcellens gratitudo, et ex Cajetano q. 107. a. 3.*

*Probat*; quia *pietas* proprie est, quæ debitum cultum reddit parentibus; *observantia* personis in dignitate constitutis; *gratitudo* benefactoribus: ratio autem parentis et personæ eminentis et benefactoris continetur in Deo excellentissime; ergo etiam debitum erga illum ut parentem, personam sublimem et benefactorem, est summum: atqui hoc debitum non distinguitur a debito erga primum principium; ergo virtus, quæ respicit hoc debitum, non distinguitur a virtute religionis, quæ respicit cultum, primo nostri et rerum omnium principio debitum. Unde recte Cajetanus infra q. 107. a. 3. notat, has virtutes, pietatem, observantiam, et gratitudinem, dupliciter existere: primo, formaliter in suis propriis speciebus: secundo, eminenter in superiore virtute, quæ est religio. Ratio est, quia objecta earum (quibus deferunt suas functiones) continentur eminenter in objecto, cui deferunt religio: et debita earum, ob quæ deferunt, in debito religionis.

Adverte tamen, esse valde probabile, gratitudinem per se esse virtutem distinctam a religione, quia formaliter respicit debitum ortum ex beneficio; religio autem hoc non respicit ut objectum formale, sed ut motivum seu impulsivum ad actum.

Idem dixerim de *fidelitate* erga Deum. Hæc enim respicit debitum ortum ex promissione, illudque solvit non ex affectu Deum honorandi proprie, sed ex affectu satisfaciendi debito ex promissione contracto: qui duo affectus videntur omnino distincti; quamvis actus alterius ab altero vicissim imperari possint. Nam ex affectu Deum honorandi, possum velle solvere promissa, et gratias agere; et ex affectu solvendi promissum, et referendi gratias pro beneficiis acceptis, possum velle honorare. Recte tamen hæc virtutes referuntur ad religionem. *Primo*, quia versantur in materia religionis; nam quidquid promittimus Deo, vel pro beneficiis referimus, ad religionem pertinet, cum

nihil præter honorem ei donare possimus. Virtutes autem secundum modum loquendi Patrum censentur distingui, vel non distingui ratione materiæ potius, quam ratione interni affectus præcise et formaliter considerati. Unde juramentum est actus religionis, etiamsi non fiat affectu religionis; similiter oratio, solutio decimarum, etc. Et jejunium est opus temperantiæ, etiamsi non fiat affectu temperantiæ, sed justitiæ vel pœnitentiæ. *Secundo*, quia debitum gratitudinis et fidelitatis erga Deum crescit ratione excellentiæ ipsius. Unde in praxi dum nos gratos et fideles præstare volumus, maxime spectamus divinam excellentiam cui obstricti sumus, ne si neglexerimus, illam inhonorasse videamur. Denique hoc ipso quo quis recte dispositus est ad debitum honorem Deo exhibendum, etiam bene dispositus est ad solvenda ei promissa et gratiarum actionem: et neglectus horum censetur quædam Dei inhonoratio. Itaque videtur ratio religionis in illis quodammodo includi.

## CAPUT II.

### DE ACTIBUS RELIGIONIS.

12. Divus THOMAS enumerat varios actus religionis, alios internos, alios externos. Internos ponit duos, *devotionem* et *orationem*. Externos facit reliquos, *adorationem, sacrificium, oblationem primitiarum et donorum, oblationem decimarum, votum, juramentum, adjurationem, laudem*; quibus infra adjungit *gratiarum actionem*: quæ duo postrema commode sub oratione comprehendere et tractari possunt. Nam secundum D. THOMAM q. 83. art. ult. *gratiarum actio* est pars orationis; similiter laus, quæ fere semper petitioni miscetur, ad orationem pertinet, tanquam pars vel species quædam illi us.

#### DUBITATIO I.

##### QUID SIT DEVOTIO.

13. R. Hoc nomen dupliciter accipi. *Primo* ut significet specialem actum religionis, et sic *devotio* nihil est aliud, quam interna quædam sui ad cultum divinum oblatio et traditio. Sicut enim qui alicujus Principis obsequio totum se tradit et devovet, devotus dicitur illi Principi; ita qui ex affectu cultus et honoris divini se totum mancipat Deo, facit actum peculiarem religionis, qui dicitur absolute devotio, et a quo dicitur quis Deo devotus. Potest autem id fieri vel cum voto, vel sine voto: si cum voto vel juramento fiat, nascitur obligatio; eritque devotio magis perfecta: si autem fiat absque tali vinculo, non inducet obligationem; quia fiet solo proposito, et hujus propositi explicatione: sicut dum homo explicare volens suum affectum et animi propositum dicit Principi: me totum trado tuo obsequio. Unde Divus THOMAS a. 1. ad 1. recte dicit, *devotionem esse actum voluntatis hominis*

*offerentis seipsum Deo ad ei serviendum.* Quod intellige non de solo actu voluntatis elicito, sed etiam imperato; quia oblatio sui non fit sola volitione, sed necessarius est actus intellectus, veluti locutio quaedam, qua quis seipsum Deo tradat et addicat, sicuti in promissionibus, votis et donationibus, quae non sola volitione perficiuntur.

14. *Secundo*, accipitur non pro actu peculiari, sed pro conditione quadam actus interni. Sic *devotio* nihil est aliud, quam *promptitudo* quaedam, et *fervor* affectus ad cultum divinum, v. g. ad orationem, ad laudem, ad sacrificium, ad adorationem, ad solvenda vota, etc. vel affectus ad hanc promptus et fervens. Quicumque enim prompte et ferventer hanc affectant et faciunt, dicuntur devoti; idque merito, quia ostendunt se esse addictos et mancipatos divino cultui. *Promptitudo* requiritur ut superentur omnes difficultates, timores et perturbationes, quae hominem ad cultum Dei lentum faciunt: et consistit in affectu absoluto et deliberato vincente omnem timorem, fugam et tergiversationem voluntatis; ita ut nihil amplius illam retardet ab executione quando occasio se offert: quod etiam fervor (qui nihil est aliud quam intentio, et vehementia affectus) requiratur, patet: nemo enim tepidos in oratione cultuque divino, devotos dixerit; sed eos tantum, qui ferventi affectu hoc praestant: unde devote orare nihil videtur esse aliud, quam cum ferventi affectu erga Deum, orationem fundere.

15. Nascitur utraque devotio ex parte nostra, ex contemplatione, praesertim duplici. *Primo*, ex consideratione divinae excellentiae, et beneficiorum, quae tanquam ex perenni fonte in nos assidue ab illa promanant. Hinc enim videmus ipsum omni cultu et obsequio esse dignissimum; ipsiusque beneficia a nobis hanc assidue flagitare. *Secundo*, ex consideratione inopiae et miseriae, quam ex nobis habemus: ex hac enim videmus nobis esse maxime congruum et expediens, ipsi servire; nam nemo praeter illum nos juvare et beare potest. Vide D. THOMAM q. 82. a. 3.

## DUBITATIO II.

### QUID SIT ORATIO.

16. R. Omissis variis definitionibus, commode sic definiri potest: *Oratio est desiderii coram Deo explicatio, ut aliquid ab ipso impetremus.* Colligitur haec definitio ex Patribus. BASILIUS orat. in Julittam martyrem: *Oratio est boni cujusdam petitio, quae a piis ad Deum effunditur.* DAMASCENUS L. 3. de fide orthodoxa c. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum, sive decentium a Deo petitio.*

17. Ubi advertite, in oratione tres actus spectari posse: *Primus* est desiderium nostrum, quo bonum aliquod nobis aliisve conferri, aut malum averti desideramus. *Secundus*, hujus desiderii practica quaedam explicatio, qua Deum conamur inducere et permovere ut id praestet; quae nihil aliud est quam petitio quaedam: cum enim in potestate voluntatis nostrae non sit im-

mediate applicare divinam virtutem, seu potentiam executivam Dei ad operandum, sicuti vires animae nostrae ad operandum applicamus; neque etiam mediate et efficaciter, imponendo obligationem, sicut inferiorem applicamus, dum ei imperamus, et imperio illi obligationem imponimus; restat ut solum id possimus mediate, et per modum deprecationis seu petitionis, quod fit explicando desiderium. *Tertius*, collatio boni desiderati. Ex hisce tribus oratio proprie est illa petitio, seu practica explicatio desiderii: per hanc enim conamur Deum permovere et inducere ad benefaciendum. Hinc Patres dicunt, *orationem esse colloquium cum Deo*, ut D. GREGOR. Nyss. orat. 1. de orat. Domin., et D. CHRYS. L. 1. de orando Deum.

18. Ex his patet 1<sup>o</sup>. orationem esse immediate actum rationis: nam petitio est locutio quaedam, qua desiderium nostrum explicamus; locutio autem interna est actus rationis, et consequenter etiam externa, quae ab interna procedit, est rationis actus.

Patet 2<sup>o</sup>. esse actum rationis practicae; quia haec locutio non fit ut Deus nostrum desiderium intelligat, sed ut ea permoveatur ad rem desideratam praestandam. Unde in ea consideratur quaedam vis movendi et applicandi ad opus. Sicut enim iudicio practico et interna vel externa locutione seipsum homo ad aliquam functionem ordinat et dirigit; ita etiam alium, nempe imperando vel deprecando, quorum utrumque locutio quaedam practica est.

Nec obstat, quod a DAMASCENO dicatur *oratio, mentis in Deum elevatio*, et a D. AUGUSTINO serm. 230. de tempore, *ascensio animae de terrestribus ad caelestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium*; haec enim causaliter vel concomitanter accipienda sunt. Oratio enim ex natura sua oritur ex desiderio invisibilium, et intrinsece conjuncta est cum elevatione mentis ad Deum: unde qui sine elevatione mentis orat, verbis tantum orat; non enim possumus mente colloqui cum Deo, nisi mentem ad eum elevemus, eumque quasi praesentem intueamur.

Patet 3<sup>o</sup>. orationem esse actum religionis; nam per illam testamur ipsum esse auctorem honorum nostrorum, et nos esse ipso inferiores, eoque egere; hoc enim includit petitio seu deprecatio. Hinc fit, ut superbi aegre orent. Deinde testamur, ipsum omnia scire in particulari, omnium habere providentiam et dispositionem, omnia posse, omnium misereri, etc.

19. *Dices* 1<sup>o</sup>. Oratio est actus spei; ergo non religionis: nam idem actus non potest esse duarum virtutum.

R. 1<sup>o</sup>. Idem actus non potest esse elicited immediate a duabus virtutibus distinctis, quia non potest habere duas rationes formales specificas, aut duplicem speciem intrinsecam essentialem; potest tamen a duabus imperari, quia in uno opere externo duplex ratio honesti considerari et appeti potest; potest enim quis dare eleemosynam, tum ut proximi miseriam levet, qua ratione erit actus misericordiae; tum ut votum persolvat, et sic erit opus religionis. Simili modo potest quis orare ut Deum honoret, et ut gratiam impetret.

R. 2<sup>o</sup>. Orationem explicite et formaliter esse actum spei, sed implicite et interpretative esse actum religionis; quia non fit expresse ad Deum honorandum, sed ad impetrandum; implicite tamen redundat in honorem Dei.

Unde ad orationem necesse est concurrere internum actum spei, non autem internum religionis, saltem explicite; quia non est necesse habere expressam voluntatem Deum honorandi, quamvis debeat adesse voluntas faciendi id quod in honorem Dei cedit; quæ voluntas implicite censetur esse voluntas honorandi Deum: unde apud omnes gentes oratio habetur pro cultu numinis.

*Dices 2º.* Deus est immutabilis, ac proinde orationibus nostris permoveri nequit; frustra ergo funduntur. *Conf.* quia ab æterno omnia sunt decreta et immutabiliter constituta; ergo orationes quæ fiunt in tempore nihil possunt mutare.

R. Deus non potest ita permoveri orationibus, quasi nunc incipiat velle quod antea volebat, aut non volebat; hoc enim repugnat immutabilitati ejus, ad quam requiritur ut omnis volitio etiam libera fuerit ab æterno in illo, sitque immutabiliter duratura in æternum. Dicitur tamen Deus permoveri orationibus, quia prævisis orationibus multa voluit et statuit ab æterno, quæ alioquin non voluisset, adeo ut oratio prævisa, sit suo modo causa cur Deus anticipata illa voluntate sic velit; non secus ac si modo novam voluntatem conciperet.

*Ad Conf.* R. Omnia quidem sunt decreta ab æterno, nempe decreto quo velit res fieri, vel quo velit permittere fieri; sed hoc decretum non est factum de omnibus ante prævisionem nostrarum orationum, adeo ut orationes nostræ causa sint cur pleraque ad salutem opportuna hoc modo Deus decreverit.

### DUBITATIO III.

#### UTRUM ORATIO SIT AD SALUTEM NECESSARIA ET QUANDO OBLIGET.

20. Sunt hic duo errores. Prior est *Messalianorum*, qui dicti sunt *Euchitæ*. Hi volebant orationem solam ad salutem sufficere, ita ut nec baptismum, nec Eucharistiæ sacræ communionem necessariam dicerent, ut habet THEODOR. L. 4. histor. c. 10. et DAMASC. L. de 100. hæresibus.

Alter est *Pelagianorum*. Hi docebant (saltem implicite) orationem non esse necessariam ad salutem. Hoc ipso enim, quod docebant gratiam divinam non esse necessariam, et hominem solis naturæ viribus posse salutem promereri; cogebantur etiam fateri, orationem non esse necessariam: cui enim opus non est auxilio, ei etiam petitione auxilii opus non est. Vide D. AUGUST. hæc. 88. Non tamen negabant, eam esse utilem; nam etiam auxilium gratiæ utile fatebantur. Eadem quoque non esse necessariam, fateri coguntur hæretici nostri temporis; idque ob duas causas; tum quia omnia tribuunt fidei speciali, ita ut nec opera bona requirant; tum quia omnia fato evenire volunt. Quod si verum est, supervacanea est orationis cura et studium: nam etsi non ores, omnia æque evenient. Quod si Deus aliquid per orationem fieri velit, ipse etiam curabit, ut et illa oratio fiat; unde non oportet hominem de ea faciendâ esse sollicitum. Vide Castro v. *Oratio*, hæc. 3.

21. Sed fide tenendum est, orationem adultis ad salutem esse necessariam (nisi forte vitæ brevitas obstet); nec tamen sufficere.

*Quod non sufficiat*, patet: requiritur enim baptismus, et mandatorum observatio, et pœnitentia in lapsis.

*Quod sit necessaria*, colligitur ex multis Scripturæ locis, quibus monemur semper orare. Eccli. 18. *Ne impediaris, orare semper*: id est, ne sinas te ullo modo impediri a tam necessario exercitio. Et Dominus Luc. 18. *Oportet semper orare, et non deficere*; nempe quantum pro humana fragilitate fieri potest; vel *semper*, id est, quotidie. 1. Thessalon. ultimo: *Sine intermissione orate*, id est, quantum fieri potest, ut CHRYSOST. exponit. Ad Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea*, et alibi sæpe. Non tam crebro et serio Scriptura hoc ingeminaret, nisi res esset apprime necessaria: non enim ila loqui solet de consiliis.

Ratio hujus necessitatis est, quia oratio est medium quoddam, sine quo auxilium ad salutem necessarium obtineri nequit. Cum enim etiam justificati indigeamus quotidiano auxilio ad vincendas passiones, et ad perseverandum, Deus non statuit hoc auxilium passim conferre, nisi orantibus et petentibus: idque merito, nempe ut intelligamus, a quo nobis salus et omne bonum proveniat, eique gratias agamus. Unde Dominus Matth. 7. 7. *Petite et dabitur vobis; querite et invenietis; pulsate et aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, etc.* insinuans absque petitione non accepturos. Idem insinuat Dominus Joan. 6. v. 43. et 44. *Nolite murmurare in invicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quasi dicat, nolite murmurare ob ea, quæ dixi, sed potius orate Deum, ut vos illuminet; nemo enim potest credere in me, nisi quem Pater traxerit. Vide D. AUGUST. Tract. 26. in Joannem.

22. Sed dubium est quo tempore obliget. Durandus in 4. d. 13. q. 12. docet, orationem privatam cadere sub præcepto in genere absque determinatione loci, temporis, et modi orandi: jure enim naturæ nos solum obligari, ut aliquando Deum oremus, et necessaria ad salutem ab eo petamus; idque sive mente tantum, sive etiam voce. Quæ sententia vera est, si recte intelligatur; nulla enim sunt certa tempora jure naturæ determinata ad orandum, sicut jure ecclesiastico sunt præscripta orationi publicæ. Verum ulterius difficultas restat; an non sint certi aliqui eventus, in quibus teneamur orare, et quinam illi sint.

R. Posse assignari aliquot eventus maxime probabiles.

*Primus* est, quando peccator se ad gratiam disponere tenetur, ut quando ipse sacramentum aliquod administrare vel suscipere debet: tunc enim tenetur petere veniam peccatorum et auxilium, ut Deo reconcilietur; quod potissimum locum habet, si desit copia sacramenti.

*Secundus*, in evidenti periculo mortis, præsertim si quis sit in peccato mortifero. Si enim unquam petenda venia peccatorum et auxilium divinum, tunc maxime.

*Tertius*, in vehementi tentatione, cui alia ratione putat se non posse resistere. Ita Medina c. de oratione q. 11. sub finem. Addit Navarrus L. de orat. c. 3. n. 14. alium casum, quando quis advertit se alterius exitium impedire non posse, nisi oratione; ut si videat duos ad duellum properare, quibus non nisi oratione prodesse potest. Quod verum est, si putet, se hac ratione malum avertere posse (quod rarum est); alias non tenetur. His